



87
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

F R I D E R I C O ,

DVCE ET PRINCIPE MECKLENBURGICO
HAEREDITARIO,
PRINCIPE VANDALORVM , SVERINI AC RACEBURGI,
COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII
ET STARGARDIAE DYNASTA,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

CHRISTI IN RESVRRECTIONE LIBERATI
GLORIAM,
NOSTRAMQVE AB ETCVM EO FACTAM
LIBERATIONEM
IN MEMORIAM REVOCAT,
PRAEMISSAQVE MEDITATIONE

DE
MODIS, QVIBVS SPONSORIS

ET

EXPROMISSORIS

OBLIGATIO TOLLATVR,
AD FESTVM HOC RITE CELEBRANDVM PIEQVE
TRANSIGENDVM


GIVES O. O. H. EXCITAT ET COHORTATVR

ACADEMIAE PRO - RECTOR

IACOBVS HENRICVS BALEKE,

IVR. DOCT. ET COD. PROF. PVBL. ORDIN.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.





Laetissimae fuerunt Patribus V. Testamenti, fe-
 riae Paschales, a Summo Numine praescriptae,
 atque a Judaeis quotannis repertendae, in re-
 cordationem noctis, quae illis Dei nutu liberationem a mole-
 stiis, a servitute, ab interitu adulterat, *Exod. XII. 14. 17. 27.*
 Digitum ad hanc noctem intendit, quae gaudiis Pascha-
 libus initium dedit, Jesaias Prophetha, liberationem spiritua-
 lem, et Ecclesiæ N. Testamenti in ea exsultantis hilaritatem
 praedicens. *Cantus erit vobis, sicut noctis sanctificandi festum Cap. XXX. 29.* Non soli enim liberationi temporali festivitas illa
 dicata erat, verum imaginem simul praeferebat liberationis
 spiritualis a Messia promisso olim comparandæ, quamagni
 paschalis comestio sacramentalis his feriis servata confirmaba-
 bat. Quod etsi Judæi diffidentur pertinaces, qui Messiam
 adhuc futurum, et terrenum liberatorem exspectant, ad libe-
 rationem Patrum ex Aegypto, ad spem liberationis ab hodi-
 erna calamitate, et reductionis in terram Sanctam, totam
 festivitatem unice revocantes: nobis tamen exploratum est,
 et indubium, quia Pascha nostrum pro nobis oblatum est Chri-
 stus, teste Paulo *I Cor. V. 7.* Ne tanti autem beneficii animis
 nostris excidat memoria Sacramentum coenæ Christus insti-
 ruit, quod cum pane ipsis corpus pro nobis traditum et san-
 guinem pro nobis effusum in remissionem peccatorum, h. e.
 in redemtionem et liberationem nostram, *Col. I. 14.* vere et
 realiter exhibit, addita admonitione: *hoc facite in mei recorda-
 tionem Luc. XXII. 19. I Cor. XI. 24. 25.* Ut igitur festo sanctissimo
 nostrisque partibus satisfiat, quemadmodum program-
 mate

mare passionali *discrimen sponsoris et expromissoris ex jure civili il-*
lustravi; sic hoc paschali, ut liberationis spiritualis intelligatur
magnitudo, modos, quibus utriusque obligatio tollatur, persequar.
Non licet per angustiam, qua programmata circumscribun-
tur, omnes recensere; nonnullos adrigisse sufficiet. Jure
communi fidejussionem non extingui morte, est tam notum,
quam quod notissimum L. 16. §. ult. ff. de fidejuss. et mandator. In
Megapoli autem aliud obtinere, quis est, qui nesciat? In re-
versalibus enim de Anno 1621. §. 15. claris verbis dispositum
legitur: Wir wollen den Gebrauch dieses Fürstenthums, daß der
Bürgen Erben in Bürgschaften so in specie auff die Erben nicht
gerichtet, zu keiner Zahlung verbunden, hiemit in Gnaden confir-
miret und bestätigtet haben. Quaestiones circa hanc dispositio-
nem emergentes solide ac docte explanavit *illustris Dn. FRESE,*
Fautor ac Amicus meus aestimatisimus, in disput. inaugur. sub praef-
silio MANTZELIANO babita de nexus haeredum ex fidejussione de-
functi Cap. II. Supervacaneum igitur esset de iis adhuc pluri-
bus agere. Refero me potius ad ea, quae d. l. prolata sunt.
Quod in specie ad civitatem Rostochensem attinet, constat,
quod in illa jus Lubecense integraliter receptum sit. Illud au-
tem quoad hoc punctum juri communi conforme est. Quid
mirum itaque, in hac civitate Reversales qua hunc passum in
pronunciando non obtinere, sed fidejussoris haeredes obliga-
tos manere? *conf. praelaud.* FRESE d. l. §. XIII. Idem quoque
defendit *Consil.* Dn. STEIN in der gründlichen Abhandlung
des Lübschen Rechts P. III. §. 121. in Schol. Longe aliter
vero res sepe habet cum expromissore. Hic enim tanquam
principalis debitor consideratur, ita, ut in expromissione prin-
cipiale debitum haud maneat salvum: id quod in program-
mate passionali satis comprobavi. In Megapoli igitur ad ex-
promissoris haeredes dispositionem Reversarium minime ap-
plicandam esse quilibet fateatur necesse est, *vid. allegat Dn.*
FRESE d. l. Cap. III. §. IV Pervenio ad alterum modum tol-
lendi obligationem fidejussoris. Communiter asseritur, fide-
jussoris nexum quoque finiri, si creditor sua culpa vel injuria
debitum amiserit. Hicce modus autem multis obnoxius est
difficultatibus, siquidem 1) constat, quod si fidejussor denun-
ciave-

ciaverit creditor, ut debitorem ad solvendam pecuniam compelleret, isque cessaverit, creditor non possit exceptione doli mali repellere HERING de fidejussoribus (20. §. 15. Nr. 9. et 2) contestatum est, fidejussori, si creditor studio differat exactio nem nominis, beneficium provocationis in L. si contendat 28. ff. de fidejussor. et mandator, indultum esse. Quorsum autem hoc beneficium, si fidejussor eo, quod creditor exactio nem debiti, cum debitor incipiat bonis suis abuti nimis in praejudicium fidejussoris differat, ipso jure liberari potest. Certe illud tunc supervacaneum esse censendum est. Hinc cum interpretatio semper ita instituenda sit, ut beneficia concessa effetum habeant et non infirmentur ac enerventur, hicce modus tollendi obligationem fidejussoris simpliciter rejiciendus esse videtur. Verum quamvis non negandum sit, haec momenta insignem prae se ferre speciem, attamen sententiam affirmativam rectius se habere, pluribus argumentis efficitur, in dem allgemeinen Juristischen Oraculo Tom. XV. P. II. Cap. II. Consil. CLXI. p. 302. et seq. Idem afferit cum multis alliis COCCIVS in jure controverso Tit. de fidejuss. et mandator., et argum. L. 41. pr. ff. de fidejussor, non minus illud defendit HEINECCIVS in Element. Jur. Civil. sec. Ordin. Institut. Lib. III. Tit. XXI. §. 879., insimul autem in scholio adjicit, quod consultius sit, contra creditem moras nectentem remedium provocationis, de quo jam mentionem injeci, adhibere. Ast quicquid alii interferant, ego non simpliciter huncce modum admitto. Argumentum enim secundum, quod pro negativa sententia adduxi, obstat, et lex illa, ad quam HEINECCIVS aliquae potissimum provocant, me non simpliciter convincit. Agit enim isthaec de pupillo, qui finita cura et post impletam legitimam aetatem cessat in exigendis iis, quae ipsi a tutore debentur. Praefuppenit igitur haecce dispositio, quod tempus exactio nis adfuerit, et creditor nihilominus illum haud convenerit. In hocce igitur casu si creditor moras nectat, obligationem fidejussoris tolli ex eo recte quidem colligitur; sed hocce ad obligationes, quarum exactio praecedentem renunciationem requirit, extendere non permittunt saniores interpretandi regulae. Inter ea in casu, si creditor e. gr. in rationibus administrationis ipsi

ipſi quotannis reddendis animadverat, debitorem principalem rebus suis abuti, resque suas male agere, et hoc non niſi per creditorem ad fidejussoris notitiam facile pervenire poſſit, creditor autem illud ipſi haud denunciaverit, obligationem fidejussoris tolli vi argumentorum a MEVIO in discuss. levam, inop. debit. C. 33. nr. 133. seqq. et Perez. ad Codic. Tit. de Fidejuss. Nr. 45. prolatorum statuo: quam in rem quoque judicatum eſt in cauſa der Vorſtehere der Kirche zu St. Jacobi hieselbst contra deſ ſeel. Vorbecken Erben. Fidejussor enim non prius ad ſolutionem urgeri poſteſt, quam creditor actiones ei adverſus debitorem cedat. Quodſi ergo creditor has unice culpa ſua amiferit fidejusſorem ad ſolvendum urgere plane non poterit de LEYSER in Meditat. ad ff. Spec. D. XXIII. Med. XV. Vol. VII. pag. 878. Quibus praefectis, eluct, huncce modum tollendi obligationem fidejussoris ſimpliciter neque rejiciendum neque approbandum eſſe, ſed in certis tantum caſib⁹ locum habere. Expromiſſoris vero iterum longe alia eſt ratio. Faeta enim expromiſſione tollitur obligatio alterius, ſicque idem plane amplius non in nexus eſt. Qua de cauſa etiam CAPZOVIUS in Definit. Forens. P. II. Conſtit. 19. definit. 10. Nr. I. hiſce utitur verbis: *Creditor ceſſans debitorem principalem conuenire, do- nec hic ſolvendo eſſe deſinat, debitum ſuum a fidejussoribus, niſi BENE- FICIO EXCUSSIONIS RENVNCIAVERIT, ulterius exigere non valet.*

Progredit ad tertium modum tollendi. Jure communi valde controversialis eſt, num fidejussor liberetur, quando creditor vivo principali debitore nullam liquidationem fecit? A plurimis haec quaestio negatur, niſi promiſſio fidejussoris facta fit sub conditione, quae respicit ad liquidationem praecedentem cum ipſo debitore faciendam leg. das allgemeine Juristische Oraculum d. I. Resp. CXLI, p. 282. Sed utcunque secundum jus commune ſtatuendum ſit, jus Lubecense affirmativam ſententiam, ſub certis tamen restrictionibus extra omnem dubitationis aleam ponit. Eſt enim cautum in artic. 6. Libr. III. Tit. I. Läſſet ein Mann, welcher auf ſeinem Todt-Bette lieget, ſeinen Creditorn zu ſich fordern, und will mit ihm Rechnung halten, und er kommt nicht, worüber der Kranke ſirbet, und die Rechnung

illiquidambleibet, so dūrſſen die Eben zu ſolchem illiquidam nicht antworten, es wäre denn, daß er der Creditor ſeines Außenbleibens Chehaft beweisen könnte. Forſan mihi objicitur, quod in hocce textu, ne verbum quidem de fidejuſſore occurrat, ſicque probanda inde haud probari queant? verum cum indubitatum fit, fidejuſſorem regulariter cum effectu conveniri non posse, niſi creditor legitimo modo iprober, principalem debitorem et post ejus mortem ipfius haeredes legitime et usque ad ultimum quadrantem eſſe excuſos, CARPOV. d. l. Conſtit. 19, def. 15. Nr. 5. GAI'L Libr. II. Obſerv. 27. Nr. 10. et ſqq. prono omnino alveo fluit, tunc quoque obligationem fidejuſſoris sublatam eſſe.

Quatum denique modum tollendi obligationem fidejuſſoris cum LEYSERO in meditat. ad ff. d. l. pono, quando creditor ad provocationem debitoris perpetuum silentium imponeatur, id quod is in ſubsequenti meditatione eo extendit, ut creditor quoque regulariter actionem ſuam adverſus fidejuſſorem perdat, ſi ſe in concurſu contra debitorem excitato praeludi patiatur. Sed de expromiſſore, cum tanquam principalis debitor conſiderari debeat, et creditori, licet in concurſu praeluſus ſit, petitio tamen adverſus debitorem ſalva maneat, vid. Dn. AYRER in diſp. de poena praeluſionis in concurſu creditorum aliud afferendum eſſe, quis eſt, qui non arbitretur? ſuperrunt adhuc multi alii modi tollendi obligationem fidejuſſoris leg. HERING d. l. Cap. XX. ſed maxima pars definiri poſſunt ſola illa regula, ut exſincta obligatione debitoris etiam obligatio fidejuſſoris exſtingnatur de LEYSER d. l. pag. 877. Et cum expromiſſor tanquam principalis debitor conſideretur, ejus obligatio omnibus illis quoque modis finitur, quibus in genere obligatio tollitur. De hiſce vero jam in ſpeciali diſſertatione egit B. LAVTERBACH in Diſput. de modis, quibus obligatio tollitur. In numero illorum primarius eſt ſolutio, quae conſiftit in praelatione ejus, quod alteri debetur.

Ad Christum haec nullo negotio transferuntur. Suscep-
perat is obligationem generis humani, et ſic, prouti jam in
programmate Paſſionali pluribus docui ac comprobavi, fo-
lutiō noſtri debiti ipſi tanquam expromiſſori incumbebat.
Hinc

Hinc cum expeditissima via obligationem tollendi sit solutio
actualis, illam praestitit. Obverti posse vldetur, solutionem
probandum esse; sed hac probatione genus humanum haud
destituitur. Probatur solutio vel productione Apochae, vel
praeumptionibus, inter quas eminent cancellatio et redditio
chirographi, vid. HARPRECHT in *Dissert. de Solutione conjecturata*.
Verum enim vero genus humanum non necesse habet conje-
cturis et praeumptionibus extinctionem debiti probare, sed
aliis indubitatis iisque evidentissimis argumentis isthaec pro-
batio perfici potest. In cruce enim et morte a Christo solu-
tionem esse factam et declarationem solutionis factae per re-
surrectionem esse manifestatam, quis est, qui ignoret? Solu-
tio vero facta operatur liberationem respectu ejus debiti, in-
tuitu cuius illa facta est. Omni igitur dubio carer, per solu-
tionem, quam Christus ratione debiti, quo genus humanum
oppressum erat, suscepit, cuiusque praestationem plenam et
finitam per resurrectionem publice declaravit, nos quoque
plenissime esse liberatos. Ne ratiocinia haec quis credit, ad
forum soli restringenda, ad forum autem poli temere non
proferenda, quae fidem humanam gignant non divinam, quae
conscientiae non satisfaciant, pondus addam, autoritatem di-
vinam, effata S. litterarum. Christus tanquam noster spon-
for atque expromissor, fieri pro nobis debuit peccatum *2 Cor.*
V. 21. et pro nobis maledictio *Gal. III. 13.* fieri. Debuit pro
nobis pati *1 Petr. II. 21.* et mori *Rom. V. 8.* Debuit se ipsum
tradere pro nobis oblationem et sacrificium Deo in odorem
fragrantiae *Eph. V. 2.* Hoc erat definitum consilium Dei *A&E.*
II. 23. IV. 28. a Christo acceperatum *Hebr. X. 5. sqq.* quod
impleri debebat secundum scripturas *1 Cor. XV. 3. 4.* tanquam
per os omnium Prophetarum praenuntiatum *A&E. III. 18.* Hoc
fecit sacerdos noster semel, se ipsum offerens *Hebr. VII. 27.*
semel in abrogationem peccati per sacrificium suum manife-
status *Hebr. IX. 26. 28.*, una hostia pro peccatis, una obla-
tione consummans in perpetuum eos qui sanctificantur, *Hebr.*
X. 12. 14. Ita fidem liberavit, quam interposuerat, et ab ob-
ligatione vicissim liberandus erat. Sicut vitam a se ipso po-
fuerat, ita rursus adcepit *Ivan. X. 18.*, demonstrans se Dei
filium

P. 321 SV A TY

G
E
D

filium in potentia per resurrectionem ex mortuis. Rom. I. 4. Pater ut judex, quod ei promiserat, Ps. XVI. 10. non potuit non servare. Resuscitavit eum, solvens dolores mortis, quemadmodum non erat possibile teneri ipsum ab illa Act. II. 24. Postquam vero resuscitatus est ex mortuis, non amplius moritur. Rom. VI. 9. Per passionem mortis gloria et honore coronandus erat. Hebr. II. 9. Hanc autem antecedere debebat resurrectio et vita, quae ipsum ab obligatione omni liberatum esse, manifestaret. Haec ipse conjungit Luc. XXIV. 46: *sic scriptum est, et sic oportebat pati Christum ac resurgere ex mortuis tertia die.* Die enim resurrectionis liberatus est ex angustia et iudicio ipsius Dei Jes. LIII. 8. nec liberatus tantum, sed etiam justificatus. 1 Tim. III. 16. Est autem ut D. BVDDEVIS Dissert. de justificatione Christi p. 2. loquitur, *actus forensis, quo Deus tanquam iustus iudex, vi pacli atque iustitiae, Christum seu lapsorum hominum sponsorem atque mediatorem praesita satisfactione, a pena mortis liberavit, atque die resurrectionis ex iudicio dimisit, ad majorem Christi gloriam, et ad sufficientem illius in redēctionis opere, valorem declarandum.* Liberato Christo, nos omnes liberatos esse, sua sponte hinc consequitur. *Si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt 2 Cor. V. 14.* Reconciliati Deo per mortem filii ipsius, multo magis per vitam eius salvabimur. Rom. V. 10. Vivificavit nos Deus cum Christo, et suscitavit cum eo Eph. II. 5. 6. Hac liberatione laetemur in his feriis, et summo liberatori grates dicamus. Felices nos, si introspiciamus in legem perfectae libertatis Jac. I. 25. nostramque singuli faciamus liberationem omnibus partam, ut peccati reatu et dominio liberati, libertatem non habeamus velamen malitiae Pet. II. 16. sed vivamus non nobis ipsis, sed ipsis, qui pro omnibus mortuus et resuscitatus, est 2 Cor. V. 15. Felices nos! si filius Dei nos liberos fecerit, vere liberi erimus, Jo. VIII. 36.

P. P. FER. I. PASCH.
DIE XVIII. APRILIS ANNO MDCLVI.



Rostock, Diss., 1755-58

X.2284.307

ULB Halle
005 047 935

3





87 12
1756,2

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
F R I D E R I C O ,
DVCE ET PRINCIPE MECKLENBURGICO
HAEREDITARIO,
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI,
COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII
ET STARGARDIAE DYNASTA,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

CHRISTI IN RESVRRECTIONE LIBERATI
GLORIAM,
N O S T R A M Q V E A B E T C V M E O F A C T A M
LIBERATIONEM
IN MEMORIAM REVOCAT,
PRAEMISSAQVE MEDITATIONE
DE
MODIS, Q V I B V S S P O N S O R I S
ET
E X P R O M I S S O R I S
OBLIGATIO TOLLATVR,
AD FESTVM HOC RITE CELEBRANDVM PIEQVE
TRANSIGENDVM
CIVES O. O. H. EXCITAT ET COHORTATVR
ACADEMIAE PRO- RECTOR
I A C O B V S H E N R I C V S B A L E K E ,
IVR. DOCT. ET COD. PROF. PVBL. ORDIN.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

